ſemper odio acerrimo proſequutos eſſe. Cur non igitur nouitium hoc noſtrum inuentum, cùm obtuſa ingenia & humi repentia refugiat, ad ſublime Celſitudinis tuæ ingenium & patrocinium confugiet & tranſuolabit? Præſertim cùm noua hæc Logarithmorum methodus, omnem illam priſtinæ Matheſeos in calculo difficultatem (quæ alioqui generoſam tuam indolem offendere poſſet) penitus è medio tollat: & ad ſubleuandam memoriæ imbecillitatem ita ſe accommodet, vt illius adminiculo facile ſit, plures quæſtiones mathematicas vnius horæ ſpatio, quàm priſtinâ & communiter receptâ formâ ſinuum, tangentium, & ſecantium, vel integro die abſoluere. Ideoque tuæ Celſitudini tantò gratius hoc inuentum fore ſperamus, quantò facilem magis & expeditam reddit Logiſticam: quid enim iucundius, & in omni diſciplinarum genere præſtantius eſſe poſſit, quàm præclara quæque & ſublimia, exactè, ex tempore, facili negotio, nulloque vel temporis vel laboris diſpendio expedire? Rogamus igitur (Sereniſſime Princeps) *vt munuſculum hoc, licet exiguum, & longe infra meritorum & dignitatis tuæ faſtigium, certiſſimi tamen obſequij pignus & ſymbolum, pro humanitate tua boni conſulas. Quod ſi te feciſſe intellexero, vel hac ſola ratione animos mihi jam morbis penè confecto addideris, ad alia propediem, his fortaſſe majora & tanto principe magè digna moliendum. Interim illuſtriſſimos tuos parentes magna magnæ* BRITANNIAE *luminaria, teque præclarum tam præclaræ ſtirpis ramum, & futuræ noſtræ tranquillitatis ſpem, diu nobis incolumes ſeruet & protegat ſummus ille Rex Regum, & Dominus dominantium, cui omnis honor & gloria in æternum tribuatur.*

Sereniſſimæ tuæ Celſitudinis obſequio
addictiſſimus
IOANNES NEPERVS.

IN MIRIFICVM LOGARITHMORVM Canonem

PRÆFATIO.

QVVM nihil ſit (chariſſimi mathematum cultores) mathematicæ praxi tam moleſtum, quodque Logiſtas magis remoretur, ac retardet, quàm magnorum numerorum multiplicationes, partitiones, quadratæque ac cubicæ extractiones, quæ præter prolixitatis tædium, lubricis etiam erroribus plurimùm ſunt obnoxiæ: Cœpi igitur animo reuoluere, quâ arte certâ & expedita, poſſem dicta impedimenta amoliri. Multis ſubinde in hunc finem perpenſis, nonnulla tandem inueni præclara compendia, alibi fortaſſe tractanda: verùm inter omnia nullum hoc vtilius, quod vnà cum multiplicationibus, partitionibus, & radicum extractionibus arduis & prolixis, ipſos etiam numeros multiplicandos, diuidendos, & in radices reſoluendos ab opere reiicit, & eorum loco alios ſubſtituit numeros, qui illorum munere fungantur per ſolas additiones, ſubſtractiones, bipartitiones, & tripartitiones. Quod quidem arcanum, cùm (vt cætera bona) ſit, quo communius, eo melius: in publicum mathematicorum vſum propalare libuit. Eo itaque liberè fruamini (matheſeos ſtudioſi) & quâ à me profectum eſt beneuolentiâ, accipite. Valete.

Ad